



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibus Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

46. Qui volunt ambulare in stolis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39463**

Gal. 5.

bonis operibus fides inanis ac mortua est; nec filios Abrahamæ sola fides facit, sed fides per charitatem operans. Ita totam hanc Zachæi conuersi commendationem ac laudem, totamque hanc historiam Euangelicam impius Calvinus penitus inuertit acque peruertit. Fingit postea ex audita redemptione Ecclesiæ, & mundi reconciliatione per Christum, eiusque doctrina fide, salutem Zachæi originem accepisse. Sed hæc fictio in litera Euangelica nullum fundamentum habet, ideoque vt commẽtum humanum & Calvinianum penitus reiicienda est. Zachæi salus ex interna Christi gratia qua sese apud eum inuitauit, vt hic Euangelium narrat, originem accepit. Alia salutis eius origo extra verbum Dei fingenda non est.

## IN LVCAE CAP. XX.

## 46. Qui volunt ambulare in stolis.

Caluini  
maledicen-  
tia retun-  
ditur.

**S**CRIBARVM fastum & ambitionem ad vniuersum Catholicæ Ecclesiæ clerum maledicus Calvinus contorquet, factum Dei verbum transfert in maledicentiæ suæ libidinem, sicut aliis suis dogmatibus Dei gratiam in luxuriam transfert. *Ratione* (inquit) non caruit, Doctores ita vestiri, vt in eorum habitu plus gratitatis & modestiæ quàm in vulgari extaret. Scriba vero id perperam ad luxum & pompam conuerterant. Quod exemplum a se traxerunt sacrifici Papales, in quibus consistat stolas nihil aliud esse quàm superba tyrannidis insignia. Hæc ille, non vt Scripturarum interpretes, sed vt cõuiliator maledicus: nec certas personas perstringens, sed in vniuersum Ecclesiæ clerum vitulentiam suam effundens. Tali spiritu ducuntur, qui Euangelicæ veritatis tot seculis deperditæ restauratores, & noui totius orbis Apostoli haberi volunt. Hæc sanè Calvinus vox superbæ tyrannidis insigne est. Quo perspicuè demõstrat, quod nunc calamo ausus est, id gladio se tentaturum, si facultas daretur, vt tanquam alter Nero vnum toti clero caput extirpans, illud vnico ictu reseccare posset. Nec enim sic vnquam Nero Romani populi sanguinem, sicut iste hæreticus totius Catholici cleri infamiam & interitum sitiuit. Aded quauis vel capta vel quæsitâ occasione in vniuersum cleri Christiani corpus, absque vllò discrimine, rabido ore fertur. Sed Dei beneficio solo larratu nocuit, morsu petere non potuit. Quam tyrannidem Calvinus ipse Geneuæ exercuerit, nostri in Anglia Caluino Papistæ scriptis libris ediderunt.